

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Andreas Daniel Habichhorst Lorenz Jetze

**Partis II. Illustriorum Isaiae Locorum Dissertatio Tertia De Babelis Eversione  
Plane Stupenda Proximeque Futura, Ex Isai. XIII. v 19. 22.**

Rostochii: Wepplingius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740909061>

Druck Freier  Zugang





R.U.-Theol 1697 Habichhorst, Andreas 16

PARTIS II.  
ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM  
DISSERTATIO TERTIA

DE

III

BABELIS  
EVERSIONE  
PLANE STUPENDA  
PROXIME QVE FUTURA,

EX JSAI. XIII. v. 19. • 22.

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

QUAM

Auspice DEO-Homine & R. FCte THEOL. consentiente,  
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE  
HABICH HORSTIO,

S. TH. D. ejusdemq; P.P. & Consiliario Duc.

Mekelb. Consistoriali. Collegiique Professorum Ducalium

ut & FCtis Theolog. Seniore,

In illustriss. & perantiquæ Univ. Rostoch. AUDITORIO MAJORI,

Ad d. 23. Jan. 1697. ventilandam proponit

M. LAURENTIUS ~~Setze~~ Neomarch.

Ordinatus Eccl. Minister.

Rostocbris, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Generosis, Antiquitate Generis & Gloriâ Majorum suâq; ipsorum  
Virtute conspicuis, & tam eruditione Præcellentibus ac Claris-  
simis qvâm virtutum morumq; præstantiâ Nobilissimis

## VIRIS JUVENIBUS.

*VIRORUM Magnificorum, maximè Reverendi, Nobilissimorum  
Excellentissimorum, Amplissimorum & Consultissimorum,*

**DN. JOHANNIS KLEINII,**

J. U. D. & Pandectarum in hac Acad. Profess. Publ. famigera-  
tissimi Consistoriiq; Duc. Meckl. Assessoris & p. t. Di-  
rectoris, ut & Jur Fac. hodie Decani Spectatissimi:

**DN. JO. JOACH. SCHOEPEFERI.**

J. U. D. & Cod. in hac Acad. Profess. Publ. Celeberrimi & Con-  
sistorii Ducalis Mecklenburgici Assessoris Comitisq;  
Palatini Cælarei Gravissimi:

**DN. JOH. MAURITII POLZII.**

S. TH. Doctoris & ad Templ. Johann. & Spir. S. Pastoris  
longè meritissimi, nec non R. Ministerii  
hic Senioris venerandi,

**DN. JOH. BARNSTORFII,**

J. U. D. & Practici hic laudatissimi Consistoriique Ducalis  
Advocati ordinarii Dexterimi,

*Dominorum suorum Promotorumq; magnorum*

## COMMENSALIBUS

PER DILECTIS OMNIBUS & SINGULIS,

**DNNNN. FAUTORIBUS suis summoperè colendis,**

Dissertationem hanc Exegeticam in sui commendationem,

Cum Voto omnigenæ prosperitatis,  
dicat offertque

**M. LAURENTIUS. Jeþe/ Ord. Eccl. Minister.**

LOC. IV. ISA. XIII. v. 19.--22.

De

BABELIS eversione plane stupenda proximeq; ventura.



Vandoqvidem ipse DEus, secundum oracula Prophetæ, Dissertationibus proximè præcedentibus dilucidata, bellum contra Babylonem indixit, & Medos Persasq; ad illam met expugnandam vocavit atque excitavit, nullum sanè dubium est, qvin stupendum plane Babylonis excidium fuerit subsecutum. Et hoc ipsum etiam

Disp.  
III.

seqq. v. 19. -- 22. C. hujus XIII. ab Jl. prædictum invenimus. Cum v. illud Babelis excidium ita ipse prædixerit, ut illud non solum v. 19. cum excidio Sedomitico comparaverit, sed & v. 22. propinquum dixerit; & verò ex historicis constet, nec tantam Babylonii cladem à Medis illatam, ut excidio Sedomitico ac deserto queat comparari, nec illammet tam citò esse eversam; siqvidem adhuc tempore Alexandri M. (Mōnarchiā Medo-Persicā jam extinctā) talis fuit tamq; munita & amōena extitit, qualis vel à Semiramide vel Belo condita est; dubium hinc non leve oritur, qvomodo vaticinum hoc Isaiānum, de Babelis eversione, sit completum & cum rei veritate convenienter. Unde & locus hic alioq; v. qvandam revertetur. Sensum v. ejus genuinum rectius percipiemus, si quaeruer seqq. exposituri simus: (1.) statum Babylonis gloriosum & ornatum (2.) gloriose & ornatæ Babylonis excidium (3.) Excidiū tempus propinquum (4.) vaticinii de excidio tam stupendo complementum. De primo qvidem pauca illustrationis ergo præmittemus; de tribus v. posterioribus, ut pote controversis, paulò plura adferemus, usumq; subjun-  
gemus.

G

§. 2.

§. 2. Primum, scil. gloriosum & ornatum Babylonis statum, qui opponitur desolato, duobus hic prædicatis Prophetæ sistit, cum Babyloniam v. 19. vocat צבִי מלכּות i.e. gloriam regnum, & כְּסֵרָה גָּוֹן i.e. coronam clationis (superbiæ) Chaldeorum. Ubi tantum ad vocem primam צבִי quæ est à R. צבָח intumuit, monendum est, communiter illam notare capream, cervam, sicut & præced. v. 14. capititis hujus xiii. tali significatione gaudet, cum dicitur: וְהִיא כַּצְבֵּי מֶרֶה i.e. & erit (Babel) sicut caprea depulsa (fugiens); alias v. apud Prophetas significare etiam jucunditatem, gloriam: qvemadmodum & h. l. Babel צבִי i.e. gloria regnum salutatur i.e. glorioissima inter regna q. d. & erit Babel, quæ nunc supremam inter regna mundi majestatem ac splendiorem habet, & in qua Chaldaei magnificentiam suam, opes & potentiam ostentant &c. qvorum & vox Nebucadnezaris tendit Dan. 7. 27. Nonne hac est Babylon magna, quam ego edificavi? Ad rem v. qvod attinet, gloriam sanè & ornatum Babylonis non tantum profani, sed & sacri Scriptores loquuntur. Nam Jeremias c. 51. 41. Babylonem appellat כל הארץ להלחת i.e. laudem totius terræ i.e. omnium urbium terræ celeberrimam: qvod de Babel verum est sive illam vocem, quæ subiectum horum est prædicatorum, de regno Babyloniorum intelligamus, s. de urbe Babel interpretemur, qvæ metropolis regni Babyloniorum erat, nomenq; toti regno dederat. Laudem v. & gloriam urbis Babel tum amplitudo ejus, tum potentia manifestant. Utramq; idem Jeremias eodem cap. 51. depingit, & qvidem (1.) de amplitudine v. 58. his testatur verbis: חומות כל הרחבה ערער והעיר הגדולה רצחו i.e. Muri Babelis late illius (amplæ, non lati, ut referatur ad murum ceu Vulg. & versio Vatabli habent: qvia obstat accentus conjunctiv⁹ in כל. Alias enim si הרחבה i.e. latus con-

construendum fuisset cum חומת הַמִּזְבֵּחַ muro, tunc vox בְּכָל distin-  
 etivum habuisset) confringendo confringentur, & portæ ejus exel-  
 lenter altæ igne comburentur. Qvibus sanè verbis amplitudin-  
 nem Babelis trifariam Propheta declarat, dum (1.) illam  
 dicit חומת i.e. amplam illam L. latam. (2.) instructam  
 i.e. muris (3.) portis הַגְּבוּהִים i.e. excellenter altis. Eandem  
 declarat idem appellatione montis, cum praeced. v. 25. ad Ba-  
 bel dicitur: Ecce ego ad te, mons corrumptus. Mons enim ap-  
 pellatur Babel non tantum respectu summi, quo fulgebat, im-  
 perii: sed etiam propter altitudinem murorum ejus & portar-  
 rum hortorumque pensilium, instar montis assurgentium, ceu  
 praeced. disp. 1. ad loc. 2. Jsa. 13. 2. de monte excelso, fuit an-  
 notatum. Eodem tendunt verba præcedentis versus 33.  
*Etiamsi Babel ascenderit cœlum* (i. e. tam altos muros portasq;  
 habeat, ut in cœlum usque pertingant i.e. arces in summa  
 cœli parte struat) & quamvis munierit in excelso robur su-  
 um (vel excelsum roboris sui, i. e. cinixerit se muris crassis-  
 simis & altissimis) à me tamen veniunt, qui destruant ipsam, ait  
 Dominus. Dicta v. Jeremiæ magis elucescent, si profanos quo-  
 que scriptores consuluerimus. Qvia v. non historiam de  
 amplitudine Babelis, sed exegesin loci scribimus, pauca tan-  
 tum testimonia afferemus, laudem & amplitudinem urbis  
 declaratura. Ita v. Curtius l. 5. de eadem scribit: Semiramis  
 tam urbem condidit, vel ne pleriq; credidere, Belus, cuius regia ostens-  
 ditur. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spa-  
 tium triginta & duorum pedum latitudine amplectitur. Qua-  
 drige inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Al-  
 titudo muri centum cubitorum eminet spatio. Turres denis pedi-  
 bus, quam murus, altiores sunt. Totius operis ambitus trecenta  
 sexaginta octo stadia complectitur &c. Diodorus Siculus l. 3. de  
 amplitudine ejus hæc memorat: mœnia ejus ambitu spatiis tre-  
 centa & sexaginta complectebantur frequentibus & magnis tur-  
 ribus,

ribus, tanta muri latitudine, ut sex currus una procedere posse  
sent; altitudine v. auctore Ctesia incredibili. Aristoteles 3. Po-  
lit. amplitudem ejus illo maxime argumento probat, qvod  
capta ab hostibus, tertia demum die pars ejus extrema illud per-  
fenserit. Conf. & Herodotus l. 1. Plinius l. 6. c. 26. Strabo. l. 16.  
Pererius Comment: in Dan: l. 5. p. 348. 350. ubi & de Conditore  
Babylonis sententias conciliat. Deinde qvod ad potentiam ur-  
bis regniq; Babelis attinet, colligitur ista tum ex eodem c. 51.  
Jerem. v. 23. ubi malleus totius terre vocatur, tum ex Jsa. 47.  
5. 17. ubi dominare regnorum salutatur: eminebat enim dignita-  
te & potentia super reliquas orbis civitates, uti mons cel-  
sissimus, dominiumq; in multos obtinebat populos, qvos  
per aquas intelligi multas volunt, qvarum idem Jeremias c.  
51. 23. mentionem habet.

§. 3. Ceterum hunc gloriosum ornatumq; Baby-  
lonis statum, paucis jam testimentiis tum sacris tum profa-  
nis adumbratum, sequitur considerandum II. suspendum e-  
jusdem sic ornatae & gloriae Babylonis excidium, qvod non  
tantum generatim hic comparatur: sed & speciatim per signa  
describitur. Prius, nempe generalis comparatio, designatur  
seqventibus Prophetæ verbis: **בְּרִית כְּמַהֲפֵכָה אֱלֹהִים וְאֶת־סְרִירָה** qvæ qvoad literam ita redunduntur:  
Et erit Babel secundum subversionem Dei τὸν Σδομ Ἐ τὸν Αμοραβ.  
ubi (1.) de pbrasi vel Ebraismo: secundum subversionem Dei τὸν Σδομ Ἐ Αμοραβ (2.) de re ipsa dispiciendum. Circa pbrasin, quæ  
in terminis quoq; de ipsa bac Babel habetur Jerem. 50. 40. &  
de aliis ap. Amosum c. 4. ii. non temerè queritur, quid sibi velie  
b. l. particula **תְּנִזְנִין** an illa & qua ratione h. l. sit Accusativi nota post  
nomen verbale **מְהַפֵּכָה** à R. הַפְּרִית /ub versit? Ubi Wasmuthius qui-  
dem in Append. II. Gram. de idiotismis Syntact. p. 287. re-  
spondet, nomen verbale s. absolutum s. constructum s. cum affixa,  
h. l. constructum מְהַפֵּכָה regere casum verbi sui h. l. accusativum,  
eumque

eumque flare pro Genitivo; quo etiam refert locum Isa. II. 9.  
 plena est terra אֶת-זָהָב i.e. cognitione Dominum, pro  
 Domini (quem tamen locum commoditis paulò expo-  
 suimus in Disp. nostra xxii. Isaiana partis I.) Unde & hunc  
 locum sic ibid. interpretatur: Secundum subversionem Domini  
*Sedomam*. At v. cum accusativus hic & alibi non satis  
 commodè per Genitivum exponi queat: nonne enim verbas  
*secundum subversionem Dei Sedomam*, durius sic exponun-  
 tur: *secundum subversionem Domini Sedomae*? hinc malumus  
 h.l. ellipsis verbi statuere conjugati שְׁפֵר qvod ex nomine  
 קְמַהֲפַכָּת supplendū & cum qvo accusativ⁹ h.l. סְרוּת construct⁹,  
 ut sit sensus: *secundum subversionē Dei*, שְׁפֵר אשר קְמַהֲפַכָּת  
*vertit* τὸν Sedomā, ceu diserte exponitur Deut. 29. 23.  
 סְרוּת וְעַמּוֹרָה אשר שְׁפֵר יְהוָה h. e. secundum subversionem Sdo-  
 ma & Amore, quam subvertet Dominus. Similis verbi conju-  
 gati ellipsis datur Deut. I. 27. וְאַתָּנוּ יְהוָה בְּשִׁנְאָת i.e. propter  
 odium Domini nos, b. c. proprie odium Domini, qvo odit nos; quam  
 alii exponunt per adversum nos. Add. Deut. 7. 8. Hos. 3. 1.  
 2. Sam. 3. II. &c. Conf. Glass. Gram. S. lib. 3. Tr. I. Can. 4. I. Dehinc  
 v. qua rem ipsam non temere quæritur, quomodo Babel sicut Se-  
 dom & Amorab fuerit subversa; sicut h.l. & Jerem. 50. 40. prædici-  
 tur, cum Jhovah non fecerit pluere Sulphur à Jhovah super  
 Babel, sicut in subversione Sedomæ factum, juxta Gen. 19.  
 24. adeoque igne coelitus demisso Babel non perierit? quam  
 R. D. Kimchi in h.l. scribit: captam Babylonem Deus altero  
 statim anno coelitus ut Sdom & Amora evertit. Resp. Prophe-  
 tis vulgare est, memorabile hoc pœnæ specimen, qvod De-  
 us in Sdom & Amorah edidit, allegare, cum horrendam  
 & omnimodam annunciare pœnam volunt, licet non æqua-  
 lis sit pœnarum modus. vid. Deut. 29. 23. Isa. I. 9. Jer. 49. 18.  
 c. 50. 40 Amos. 4. II. Zephan. 2. 9. Unde & B. Joh. Tarnovius,  
 ad locum parall. Amos. 4. II. docet, per speciem esse genus sub-

intelligendum. Oecolampadius v. & ex eo Marlboraius h. l. a junct,  
tropum similitudinis hic dari, qui in scriptura freqvns; satis que  
esse in uno alteroque similitudinem servari. In hoc a. subversio Ba-  
bylonis est Sedomiticae similis, quod sicut Sedom non fortui-  
to vel hominum voluntate, sed divinâ planâ vindictâ peribat:  
*Dominus enim à Domino Sulphur* super Sedomam pluere fecit,  
Gen. 19.24. ita nec Babylon fortuito, sed justâ Dei vindictâ  
corruerat. Et quemadmodum Sedomæ subversio fuit  
totalis & irreparabilis, ita & Babylonis. Nec enim Ba-  
bel fuit restaurata: seq: enim v.20. dicitur: *nominem ibi habi-  
taturum à generatione in generationem*: nec regnum eius re-  
dintegratum, sed ad Medos Persasque, uti ad præcedentem lo-  
cum ostendimus, devolutum est.

S. 4. A generali comparatione subversionis Babylonie  
cæ transimus ad specialem ejus descriptionem, quæ per  
signa horrendæ & continuæ solitudinis sistitur seqq. v. 20. 21.  
22. & quidem describitur tum per signa negativa, tum per  
affirmativa. Ad negativa quod attinet, negatur (1.) gene-  
ratim quisquam ibi habiturus, cum dicitur: *לא נשׁבָה עַד וּמִן תְּשֻׁבָּה עַד* i. e. non sedebit in eternum nec ba-  
bitabit à generatione in generationem: Ubi queritur, an  
verba: *לא נשׁבָה עַד תְּשֻׁבָּה עַד* i. e. non sedebit, non habitabit,  
sint impersonaliter reddenda, & nominativus quisquam vel  
aliquis subintelligendus, cuius Ebraismi exempla non pauca  
in locis primæ partis annotavimus. Conf. Dilp. 12. ad Isai. 9.  
5. § 7. ut sensus sit: non sedebit quisquam, non habitabit aliquis sc. in ea(Babel) Ita certe Wolff. Musculus sentit, in Com-  
menth. l. p. 236. dicens: verba sedendi & habitandi non ad stru-  
cturam Civitatis, sed ad populum s. incolas eius sunt referenda.  
Similiter Luther verba quaestionis impersonaliter expressit:  
*Man wird fort nicht mehr da wohnen / noch jemand da blei-  
ben für und für.* At vero Ebraismus ille, vel locutio Im-  
per-

personalis locum h. l. quoad literam non habet, cum verba  
 נְשָׁכֵן & נְשָׁבֵךְ sedebit, habitabit, sint fœminina; in Ebraismo  
 a. tali inq; locutionibus istis impersonalibus, verba sint tertiae  
 personæ masculinæ & subintelligatur nominativus vel ma-  
 sculinum pronomen quisquam. Interim quoad sensum Lutheri  
 versio hic satis est conveniens. Nam verba haec fœmi-  
 nina referenda sunt ad præcedens fœmininum urbis Babel  
 nomen, de qua præced. versu Propheta dicebat וַיֹּהֶי בְּכָל־  
 בָּבֶל סְקֻנָּה כִּי אֲתָאָה  
 Et erit Babel secundum subversionem Sedom; hoc a. versu per-  
 git dicere: non sedebit, non habitabit sc. Babel. Unde alii ver-  
 ba sic exponunt: non sedebit Babel, nec habitabit, sc. ut Regina sua  
 per thronum, quæbactenus juxa præced. versum gloria regno-  
 rum. Calvinus h. l. p. 123. verbo sedendi statum significari  
 putat, q. d. nulla est spes instaurandæ Babyloniam. Nobis  
 h. l. Babel metonymicè pro incolis accipi videtur, quorum  
 est sedere, habitare in urbe q. d. urbs hactenus frequentissi-  
 ma habitatoribus & potentissima, usque ut finem seculi non  
 habitabit, nullum instaurationem solidam obtinebit h. e.  
 nulli incolæ & habitatores in ea erunt, nec commoraturi sessi-  
 onem in illa invenient, id quod sequentia pluribus declarant,  
 quibus(2) speciatim negatur Arabum tentoriis locum ibi futurum  
 Pastores ibi gregibus suis mapalia fixuros, q. d. usq; adeo vastata  
 & maledicta haec erit terra, ut cum ante hanc cladem Ba-  
 bel habitatio Regum Principumq; gloriosa fuerit & fœ-  
 cundissima, tum ne ipsi quidem vagierrones & scenitæ Ara-  
 bes, (qui relictâ prorsus patriâ, quod sterilis fit, deserta  
 hinc vocata, sedibus incertis, & fixis hinc inde tentoriis per  
 omnem vitam palabant)<sup>14</sup> nec pastores in eadem morari  
 sustinuerint. Contrà v. affirmatur v. 21. 22. habituras ibi be-  
 stias plane terribiles & infaustas, quarum aliquot species Pro-  
 pheta recenset. De quibus cum variantes quidem senten-  
 tiæ legantur, ita ut quidam Interpp. nescii quænam illæ fue-  
 rint,

rint, nomina retinuerint Ebræa Zijim, Ochim, Seirim, i Jim &c. paruim tamen juxta Forerium referat scire, qvænam fuerint bestiæ, hinc operæ pretium non videtur, ut prolixè de his agamus. Satis enim est, nosse qvod ferales fuerint & solitudinibus gaudentes, adeo qvidem ut Wolff. *Musculus* in Comment. p. 236. credit, his verbis Prophetam adducere rationem, qvare nec Arabum tentoriis nec Pastorum turgioliis ibi locus fuerit, sc. propter noxias valde & terribiles bestias, qvæ in vetustis murorum & ædificiorum ruinis erant mansuræ, de qvarum nominibus Ebræis vid, B. Varenius in Comment. Jlai. h. l. p. 14. 15. Præstat v. ad subsequentia duo capita de tempore excidii hujus propinquo & varianti complemento pleniùs paulò commentari.

§. 5. Circa III, enim sc. excidii Babelis, generatim sic cum Sedomorum subversione comparati & speciatim per signa descripti, tempus propinquum s. proxime venturum (qvod Propheta posteriori versus 22. membro & his qvidem verbis subjungit: לְבוֹא עֲתָה וּמִתָּה לֹא יִמְשַׁךְ propinquum est venire (ut veniat) tempus ejus (sc. Babelis evertendæ, ceu foemininum docet affixum in עֲתָה) & dies ejus non protrahentur) tria præcipue dilipitantur (1.) an idem notetur per tempus Babylonis evertendæ propinquum, & per dies ejus non proferendos (2. qvomodo tempus eversionis Babylonicae hic prædictæ diei queat tempore Jlaiæ propinquum, cum longius tunc abfuerit & vicinior multò dies fuerit ille, qvo Jhudæi Babyloniam erant abducendi & Jruschalem à Babylonii captivanda? (3.) qvonam tempore sic propinquu Babeli tale excidium acciderit & an inter tempora Senbaribi Regis Assyrii & Nebucadnezaris Babylonici, an v. post tempora Nebucadnezaris? Ad (1.) qvæstionem, an idem hic notetur per propinquum Babylonis, tempus per dies ejus non protrahendos respondet B. Varenius negative, his qvidem verbis: tempus, de quo

qvo prædicatur, quod לְבוֹא קָרְבַּה h. e. propinquum venire, est tempus pœnae futura; dier autem ejus sunt dies presentis floride Babylonis glorie, quas illa eternos fore sperabat; ac opponit illi Propheta illud: non proferentur, sed decurtabuntur dies. Vid. Comment. ejus in Jlai. part. 2. h. l. p. 16. Nobis autem tempus Babylonis propinquum & dies ejus non protrahendi, qvoad rem non videntur differre, sed posterius pro more Scriptura. rum S. prioris exegesis vel confirmationem esse, q. d. Dominus præfixit diem, nemo intercessurus est, qvi inducias pro-roget. Et si vel maximè sic differrent, qvoad sensum tam idem essent: siqvidem unum ex altero fluit. Posito enim tempore excidii Babylonis appropinante tanquam causâ, ponitur simul floridus Babylonis status non proferendus tanquam effectus. Qværitur hîc incidenter, qvomodo Propheta propinquum hoc tempus & dies excidii dicat esse הַיּוּ tempus ejus scilicet Babylonis, cum præcedente v. 6. vocasset dies Domini, ubi in eundem ferè sensum dixit: ululate (ô Babylonii)! qvoniام prope est dies Domini q. d. in propinquu vestrum est excidium? Resp. utrumq; diverso respectu verum esse: Dei sanè dies erat & Babylonis; Dei erat dies, ad ultionem pœnamq; Babylonii infligendam; Babylonis erat dies ad pœnam hanc sustinendam. Ut vel hinc qvoq; appareat, verba qvæstionis: Et dies ejus sc. Babylonis, non proferentur, de die excidii Babylonis non protrahendo accipienda, adeoq; priorum verborū de tempore Babylonis propinquu exegetica esse.

§. 7. Sed qværitur jam (2.) qvomodo dies ultionis & tempus excidij Babylonici propinquum hîc prædicetur, cum à tempore vaticinii bujus ad impletionem ejus anni restarene plusquam ducenti & vicinior multò dies tempusq; illud esset, qvo Iruschalem à Babylonis erat capienda & Ihudæi Babyloniam abducendi? Variè hîc responderi solet. Wolfg. Musculus, in Comment. ad præced. versum 6, p. 231, respondet:

H

Si

Si excidii Babylonici magnitudinem, deinde & securitatem Babyloniorum consideres, erat plane dies ille in propinquuo, ac vicinior multò quam quisquam credere sustineat. Ceterum hæc quæstioni haut satisfaciunt. Calvinus Comment. h. l. p. 124. Temporis, inquit, brevitas referri debet ad propinquam cladem, ut tamen longius spem fidelium suspendi oportuerit. Dixi Babylonem non tam citè eversam fuisse. — Breviatur id futurum dixit, cuius paulò post conspecta sunt exordia: quia Iudeis sufficere debuit, non temere sibi promissam fuisse ultionem. Solet etiam Spiritus S. respectum babere ad nostrum fervorem & precipitatem: Vellemus enim Deum statim exequi iudicia sua & sceleratos ulcisci simulatq; id optavimus — Atq; si in mentem nobis veniret aeternitas, facile esset nimiam festinationem patientia frenare, sed quia vix aliter cohiberi potest nostra importunitas, Deus aliq; annus nobis indulget, se paulò post venturum pronuntians. At v. hæc Calvini responsio satis calva videtur. Siquidem (1.) ipsa quoque exordia Babylonicae cladi (per quæ forsan expugnationem Babylonis per Darium Medorum Regem Cyrumque Persarum tunc Præfectum factam & superiori dissertatione §. 9. sqq. pluribus memoratam intelligit) non brevi post, à tempore vaticinii hujus, fuerunt conspecta (2.) parum abeit, quin Calvinus hac responsive suâ veracissimum Deum statuat fallacem, quasi aliquid promittat, idemque paulò post futurum pronunciet, ut saltem fervori & importunitati hominum, repentinam tum sui liberationem, tum hostium confusione optantium, aliquantò indulgeat, licet promissa longius absint & ipse apud animum non statuerit, brevi implere, quod promisit. Alii ergo respondent, propinquum fuisse tempus Babylonis evertendæ iam DEO, cui mille anni sunt ut unus dies, Ps. 90. 4. 1. Pet. 3. 8. tum oculo fidei, Joh. 6. 36. Ebr. 10. 37. Sed neq; hæc responsio veritatem verborum divinorum satis tuetur. Arbitramur a veritatem illam defendi.

di & temporis illius propinquitatem satis verificari, si illam respectu captivitatis Babylonice à Jhudæis subeundæ, considere-  
mus, sive, ut clarus loquamur, si terminum temporis illius pro-  
pinqui à quo non tempus vaticinii hujus, sed tempus capti-  
vitatis Babylonicae jam pridem inchoatæ & aliquantò con-  
tinuatæ, sed non amplius quam 70. annos duraturæ statua-  
mus. Quemadmodum enim Propheta toto hoc vaticinio  
de excidio Babylonis agit, quod versu 1. cap. hujus inscri-  
psit MassaBabel, primoq; id loco inter similia proposuit vati-  
cinia: ita & speciatim hac designatione temporis propinquvi, sive  
excidii hujus citò venturi, Jhudæos à Babylonis qvidem  
tunc temporis nondum abductos, sed juxta vaticinia Jsa-  
iae præcedentia adhuc abducendos, & ad potentiam simul  
accrudelitatem Babyloniorum trepidantes, atq; totalem sui  
regnique Jhudaici oppressionem metuentes, solari conatur,  
& nunc tanquam in captivitate jam constitutos alloquitur:  
quod vel ex seqventi proximè versu primo Cap. 14. clarescit,  
ubi sic pergit: *Nam miserebitur Dominus Jacobi & eligeret abduc-  
Israël &c.* qibus sane verbis causam temporis propinquvi s.  
excidii Babylonis citò venturi allegat, scilicet, ut liberaretur  
lætiusq; è carceribus Babylonica exiret Israël, cadere debuit  
Babel. Conf. suprà Dissert. 1. ad locum 1. §. 4. & 5. p. 7. & seqq.  
Sed dices: etiam respectu captivitatis illius Babylonicae exci-  
dium Babylonis adhuc longè absuisse: siqvidem Babylon  
adhuc tempore Alexandri M. floruisse perhibetur. Cont. infra  
memb. 4. § 9. ab init. Verum respondeatur, nihilominus Jhu-  
dæis in captivitate Babylonica constitutis propinquum fuisse  
tempus Babylonis evertendæ, nimirum ratione *initii* ejus,  
quod erat expugnatio urbis à Dario Medo Cyroq; facta:  
Hac enim expugnatâ non tantum ultimus Babyloniorum,  
Rex Belsazer interficiebatur simulq; regnum & potestas Ba-  
bylonica ad Medos Persasq; devolvebatur, uti pluribus su-

periori Diff. II. ad Loc. III. Jsai. 13. v. 3. & 17. §. 9. fuit ostensum, sed etiam sub Cyro mox captivitas Ihudæorum solvebatur: vid. 2. Chron. ult. & Esr. i. Ita ergo Babylonicae captivitatis tempore tempus excidii Babylonici propinquum fuisse dispalescit.

S. 8. Sed jam ulterius & (3.) circa tempus hoc propinquum quæritur, quo tempore Babeli h. e. & urbi Babel & imperio Babylonico, tale excidium acciderit: an inter tempora Sencharibi Regis Assyrii & Nebucadnezaris Babylonici; an d. post tempora Nebucadnezaris? Occasionem huic quæstioni suppeditat Grotius, qui prius pro certo habet, ita ad hoc C. 13. de tempore quæstionis scribens: Possimus clarius exactiusq; interpretari hunc Prophetam Galios, si Assyriaca Abydeni & Berossi Babylonica existarent. Nunc & in sacris literis pauca carum rerum & ferme ad Iudeos pertinentia attinguntur & profane historie nos deficiunt. Illud tamen pro certo habeo, malum, quod hic Babylonii obvenitum dicuntur, evenisse inter tempora Sennacheribi Assyrii & Nabuchodonosori Chaldaei. Inter enim illa tempora Medi præpollutare sub Dejoce aliusq; Regibus, quorum Herodotus & Ctesias mentionem faciunt. His autem facile fuis, Babylonem expugnare, quod ea ante Nabuchodonosori tempora neq; magna admodum, neque bene munita fuerit, ut cognosci potest ex iis, quæ Berossi & Abydeni verbis retulimus in Annotat. ad l. 3. de verit. Relig. Christiane. ita Grotius. Nos contrà, quod Grotius pro certo habet, tanquam commentum rejicientes, posterius afferere non dubitamus. Scilicet non inter tempora Sencharibi & Nebucadnezaris, sed post Nebucadnezaris tempora excidium hoc Babylonii obvenit. Nam (1.) ipse Grotius historiam hic profanam deficere fatetur: quia fronde igitur comminisci historiam & commentum hic suum obtrudere nobis potuit? (2.) Non est quod desideremus hic pro explicando hoc vaticinio depeditorum historicorum monumenta. Sanè quæ in sacris & quidem à Propheta nostro hic attinguntur, latis Grotium

tium refutant; nam totalis hic subversio Babylonii prædictus: Iсаias enim h. l. dicit, *eversum iri Babylonem secundum subversionem Sodome & Amorah*, ita ut ne Arabum quidem vagantium tentoriis nec Pastorum tuguriolis locus ibi sit futurus; sed bestiæ potius terribiles atq; infaustæ, qvæ solitudo nibus gaudent, sint ibi commoraturæ. cont. supr. §. 4. Talis autem eversio & solitudo Babylonii inter Sencharibi & Nebucadnezaris tempora non obvenit. (3.) falsa est hypothesis falsi hujus Commentatoris, qva supponit, Iсаiam ea tantum vaticinari, qvæ Sencharibi Assyriorum Regis tempora attingunt. Nec obstat *Sencharibi historiam infrà cap. 36. & seqq.* post *vaticinium de Babelis excidio describi*, adeoq; ordinem turbari, si jam tum c. 13. ea proponerentur, qvæ post Nebucadnezaris tempora acciderunt. Nam (a) falsa quoq; illa est hypothesis, qvod Prophetæ ordinem temporum in descriptione vaticiniorum observent. (b) aliud est Prophetiam proponere, aliud historiam adornare. Conf. qvæ præced. dissert. ad ordinem Prophetiæ Danielis c. 5. 7. & 8. iunt notata §. 13. p. 34. Iсаias certè non historiam excidii Babylonici hic describit; sed vaticinium de eversione Babylonici imperii Medis Perfisiq; executoribus futurâ proponit. Conf. præced. Dissert. ad Jsaï. 13. v. 17. §. 7. 8. (4.) falso est Medos inter Sencharibi & Nebucadnezaris tempora, sub *Dejoce Rege suo*, præpolluisse h. e. majori potentia valuisse, qvam post Nebucadnezaris tempora sub Cyaxare sive Dario Medo, adeoq; Babylonem tunc non adeo magnâ minusq; munitam facilius expugnare potuisse. Quantum enim discriminis est inter initia cujusdam rei & ejus incrementa, nam initia rerum tenuia fati esse solent; tantum est discriminis inter potentiam Medorum sub *Dejoce*, qui primus illorum Rex fuit, cujus arte Regibus subesse Medi cœperunt, qvod præced. Dissertatione ad Jsaï. 13. v. 17. §. 7. p. 26 (annotationis) & sub *Cyaxares. Dario Medorum*

*Medorum Rege*, cui Cyrus tunc Persarū præfectus tanquam Regi suo assurrexit turmasq; auxiliares contra Babylonem submisit. Quidq; quod hæc ratio Grotiana, de non magna admodum nec bene munita Babylone, literæ loci hujus nostri & qvidem verbis versus 19. paulò antè §. 2. expositis dixerit reclamat, quibus sanè Babel à Medis expugnanda prædicatur gloria Regnum, seu gloria inter regna, & corona superbie Chaldaeorum: quomodo & *Jeremias* illam nobis tempore isto, quo Medi Persæq; ipsam expugnare debuerunt & expugnarunt, depingit c. 51. ubi illam v. 58. dicit amplam s. latam portisq; excellenter altis gaudentem, & v. 53. maximè munitam & v. 23. malleum totius terra & v. 41. laudem totius terra, quas ejus laudes jam præced. §. 2. exposuimus. Cum ergo Babylon isto excidii tempore, quod h. l. prædictitur, non fuerit parva, nec minus munita nec impotens, (ceu Grotius illam ante Nebucadnezaris tempora depingit) sed amplissima, munitionissima & potentissima, qualis post Nebucadnezaris tempora, tempore eversionis hic prædictæ apparuit, satis inde clarescit, quod excidium illud, ab Isaiæ h. l. Babylonii prædictum, non inter Sencharibi & Nebucadnezaris, sed post hujus tempora ipsi obvenerit, & quidem (ceu pleriq; Interpretes sentiunt & præcedente Dissert. §. 8. 9. seqq. ad Isai. 13. v. 17. & Dan. 5. 24. 30. 31. ostensum est) tempore Belsazeris, ultimi Babyloniorum Regis, qui filius filii Nebucadnezaris perhibetur Jer. 27. 7. & noctu inter epulas imperfectus est, cum eadem nocte, qua Babylonii convivio ludisq; indulgebant, Medi & Persæ sub Dario Medorum Rege & Cyro Persarum præfecto urbem expugnarent. Sed huic assertioni nostræ videtur obstare defectus complementus, in seqq. paulò pleniū exponendi.

§. 9. Etenim IV. circa complementum vaticiniū hujus, de Babylonis excidio, queritur, quomodo hoc vaticinum Isaiæ de Babelis

Babelis excidio per Medos perficiendo juxta præced. v. 17. & quidem de stupendo illo vastitatis gradu, suprà m. 2. juxta v. 21. & 22. exposito, sit completum s. cum rei veritate conveniat? Certe enim tam atrox clades Babylonii à Medis Persisq; non fuit illata, qvippe qui urbe occupata civibus & incolis pepercisse scribuntur, vid. Herodotus l. 3. & Calvinus, Comment. in JsaI. h.l. p. 124. Imò & Babylon juxta Curtium ad tempus usq; ALEXANDRI M. adeoq; excisâ jam Monarchiâ Medo - Persica, quam Cyrus incepit, talis fuit, qualis à Semiramide vel Belo condita, 385. stadia ambitu murorum complexa, urbs munira, tantaq; ejus pulchritudo ac venustas, ut non Regis modò sed omnium etiam oculos in semet haut immerito converteret, eundemq; diutius quam ulla unquam urbs detineret. vid. Curtius l. 5. histor. num. i. Ad hoc quoq; dubium variè solēt respondere. Nam Ihudæi ad præsens vaticinium ita commentantur: Due vindictæ duobus annis Babeli acciderunt. Darius enim capit urbem, non tamen evertit: Belsazerem occidit & anno uno regnat. Secundo autem anno Deus illam cœlitus subvertit secundum subversionem Sedom & Amorah, & hoc, inquit, legimus in Ithamud, in libro, quid dicitur בָּבֶל וְסִדְמָה i. e. ordo mundi, & chronica Ihudæorum exhibit. Ceterum hæc finxisse videntur Ihudæi, ut literæ vaticinii hujus v. 19. suprà exposita latifueret, qva dicitur: Et erit Babel secundum subversionem Det, qva subvertit Sedomam. Rimchius v. in h. l. ita scribit: Darius Medus evertit antiquam Babel, adificavit autem novam in eadem valle, qva antiqua fuit sita. At v. non probavit quod scripsit; alias sententiam ejus, tanquam literæ textus magis respondentem, reliquis præferremus. Qvosdam hoc dubium adeo torsit, ut historia hic relictâ ad allegoricos contigerint sensus & ad omnes reprobos illud transtulerint, quod de Babylone hic traditior, uti præeunte Hieronymo SAN. GINS Comment, h. l. p. 155, & Calvinus Comment. in JsaI. c. 13.

ad v. 18.

ad v. 12. p. 121. recensent; qui tamen merito illos reprehendunt, & nimis id violentum judicant, cum h.l. Medos quoque exprimat Propheta certumq;e cum Hieronymo dicunt, non unam duntaxat cladem bic notari, que sub Dario Cyroq; acciderit, nec ad unum tempus restringi posse, quæ hic dicuntur; sed multa includi secula, q;ibus successivè factum, ut alio atq; alio vulnere accepto magis magisq; everteretur. Inde etiam B. Varenius noster in Comment. Isaii parte 2. p. 18. dubium hoc resoluturus, tres ponit complementi hujus articulos (1.) in Belazere nocte illa blasphemè convivali intersecto, Dan. 5. & hic primum omnino fractura regni Babylonici à Daniele juxta scripturam admirabilem prædictæ exemplum haberi docet, sive spectemus ipsam Belazeris ex Nebucadnezaris linea Regis ultimi intersectionem, scilicet Darii Medi (quem ex Berooso Nabonidum esse dicit) successionem, adeoque regni Babylonici à sanguine Nebucadnezaris ad exterios translationem, sive legum Persarum & Medorum introductionem, toties Dan. 6. allegatam (2.) Artic. statuit in Cyro Monarcha, Darii Medi victore, Babylonis expugnatore & uncto Israeli liberatore, qui Darium illum anno ipsius 17. prælio victum in arcem Borsippenam compulerit & biennio post Babylonem pariter ac arcem Borsippum expugnaverit, Dario tamen (Nabonido) vitam & provinciam donaverit; inde v. in Indias profectus & cum triumpho Babylonem reversus, jam diploma illud Israeli reddendi patriæ suæ, quod habetur Esræ 1. v. 2. 3. publicaverit, atq; ita Prophetæ Isaiæ magna pars, præsertim illa, quæ cap. 13. v. 16. 17. dicuntur, impleta fuerint; illa tamen, quæ h. l. v. 19. 20. 21. 22. habentur, nequam tunc, sive intra proximos 200. annos ad usq; ætatem Alexandri M. ad impleta, qui Babylonem ita intravit, ut nontam corrumperet, quam corruptior ipse exiret teste Curtio, & proinde arbitratur, certum Babylonia cadentis articulum post Cyrum, imò

imò post Alexandrum M. esse dandum eumque terminis qvidem exprimere accuratissimis non licere judicat; certum tamen dicit, qvod Babel post Alexandri fata sensim in suas iherit ruis nas. Cujus sententiae luffragamur, nisi qvod discrimen inter Artic. I. & II. (qvod ipse Scaligerum aliosq; secutus hic statuit) & reliqua, qvæ de Nabonido (qvem Darium is Medium fuisse arbitratur, nos v. Belsazerum cum aliis diximus) ejusque expugnatione, in arce Borsippo facta, tradit, nostra non faciamus; sed per ea, qvæ Dissertatione præced. 2, ad Jsa. 13. v. 3. & 17. §. 9. 15. 16. 17. paulò prolixius in contrarium differuimus, non temerè ab eodem recedamus, ducti per vestigia Hieronymi, Gejers, Calorij & plerorumq; Interpretum, cum qvibus adeo statuimus, urbem Babel eadem nocte, qva Belsazer inter epulas occisus, à Dario Medorum Rege & Cyro Persarum tunc præfecto, sub Dario contra Babylonios militante, captam fuisse, simulq; potestatem regnumq; ad Darium Medium consensu Cyri translatum, adeoq; Articulum I. & II. à B Varenio hic constitutum, pro uno esse habendum. Neque unitati Articulorum horummet obstat, qvod Idem ad primum dicit Articulum, necesse esse eum, qnicum mille proceribus cum otiose epulabatur, in urbe secura, non obessa, fuisse, & securum, non ab externo hoste, sed à suis & domesticis ipsiis interfectum esse, & hinc seqvi Babylonem nec à Cyro nec ab aliquo Medorum Rege eadem nocte, qva Belsazer ultimus Chaldæorum Rex inter epulas securus est interfactus, expugnatam esse. Hoc enim dubium pluribus jam præced. Dissert. 2. §. 15. est resolutum. Post B. Varenium paucis qvoque hanc qvæstionem ita formatam: quando & quomodo bæc de Babeli sint verificata? attingens Dn. D. Seb. Smidius, in Comment. Jliaiano nuper edito, p. 140.: firmum, inquit, Propheticam esse impletam juxta sensum & spiritus intentum; sed de sensu melius alius judicium relinquo.

§. 10. Nobis v. afferere hic non dubitatur, haut melius dari de sensu & complemento hujus vaticinii judicium, qvæ Hieronymi, paulò ante allegatum, à quo B. Varenius non adeo procul recedit. Et qvisnam dubitaret, vaticinium Jsaæ juxta

intentionem Spiritus S. esse impletum? Igitur ex eventu illud rectius, ceu alia solent vaticinia, venit explicandum, adeoque cum D. Hieronymo & B. Varenio dicendum, non uno temporis articulo simul, sed gradatim & diversis omnino temporibus, & quidem sub Dario Medo Cyroq; ex parte illud esse impletum; post Cyrus v. immo post Alexandrum M. sensim id plenarium accepisse complementum; quamvis illud terminis exprimere curatissimis haut valeamus. Qvod ut clarius paulo evadat, supponendum hic & repetendum est ex §. 2. praecedentis primæ dissertationis, ad primum ejus locum ex Isai. 13. i. defundit, qvod vocabulo *Babel* non modo *urbs* Babel, sed *regnum* quoq; Babylonicum *Reges* & ipsi quandoq; denotentur, horumq; adeo funera & excidia connotentur & includantur. Hoc autem prælupposito dicimus, eadem nocte, qva Babylon, Rege & Optimatibus vino indulgentibus, à Dario Medo Cyroq; est expugnata, & Belsazer ultimus Babyloniorum Rex inter epulas occisus, eoq; sic occiso regnum Babylonie ad Darium Regem Medorum juxta Dan. 5. v. ult. &c. 6. i. est translatum, non ipsam quidem Babyloniam urbem, sed *regnum* tamen *Babylonicum* esse eversum, sive, uti Daniel c. 5. 28. prædixit, *fractum & divisum*, adeoque vaticinium præsens in Ecclesiæ Israëlis solatium & Jhudæorum in captivitate Babylonica olim detinendorum liberationem, à Spiritu S. hinc per Isaiam in novissimis hujus capit. xiii. & initialibus cap. xiv. verbis promissam, sua satis initia sumisset. Talis v. imperii conversio, qvæ primo statim eversionis Babylonicae articulo datur, præludium sane variis fuit calamitatibus, qvibus deinceps Babel exposita, in suas abire ruinas paucis adhuc memorandas cogebatur.

§. II. Quamvis autem novissimos cadentis sic Babelis terminos & circumstantias curate satis exprimere non possumus; dubium tamen non est, qvin post Alexandri M. obitum, Dominis jam mutatis, paulatim ipsa fuerit attrita. Primo quidem Cyrus, Monarcham primum, incommodasse urbi, negat Herodotus, lib. 3. sed Darium tamen Hyllas, tertium Persarum Regem

Regem, sive juxta alios quartum, eandem Babyloniiis rebellantibus, expugnasse magnâq; ex parte muris ac portis privasse dicit, nec *Justinus lib. I. dissentit*. Hinc *Sirabo l. 16. Geogr. partem, inquit, Persæ diruerunt, partem tempus consumit & Macedonum negligentia, præsertim ubi Seleucus Nicanor Seleuciam ad Tygrim condidit ad stadia trecenta Babylonii proximam. Nam & ille & posteriores circa banc urbem Seleuciam maximopere studuerunt & regni caput effecerunt. Similiter Hieronymus h. l. & Justinus l. I. de successiva Babylonis attritione scribunt: Cum exstructa esset à Nicanore Seleucia, & à Parthis non longè à Babylone Ctesiphone, & tandem à Vologeso Rege Parthorum Vologesocerta, illuc habitatoribus commigrantibus penè exbausta est à Civibus Babylonie. Et Pausanias, qui seculo Christi secundo scripsit, Babylonem inter illas refert civitates, quæ cum prius essent florentissima, sua tamen ætate vix vestigia veteris gloriæ habuerunt. Cum enim l. 8. de Mycenarum in Gracia, de Thebarum in Boetia aliarumque Civitatum oblitterata prorsus gloria & fermè extinto jam nomine egisset, tandem de Babylone hæc refert: Babylon omnium, quæ unquam Sol aspergit, urbium maxima, jam nibil præter muros relia qui habet. Post illum Hieronymus circa finem seculi IV, super cap. 13. Jsa. testatur, se à fratre quodam Elamita, qui de finibus illis egressus secum Hierosolymis vitam egerit Monasticam, adeo deseritam esse Babylonem accepisse, ut neq; Pastores ibi commoda babere pascua potuerint, sed tantum Regias ibi venationes esse, omnisq; generis tantum bestias veterum ruinarum angustis coerceri. Horum testimoniorum alii quoque Autores subcribunt, qui Babylonem tantopere devastatam referunt, ut posteris omnino seculis difficile fuerit tenuissima veteris illius Babylonis vestigia inventire. Cont. Laurentij Rauwolfi Augustani itinerarium, ubi memorat, quasi reliquias turris illius, quam ædificarunt primi homines, procul conspicit; sed propter serpentes locum esse inaccessum. Item Benjamini Tundelenfis itinerarium, in quo refert, quod palatum ibi Nebucadnezaris vastatum consipciatur, in quod ingredi homines ob serpentes & scorpiones timerent*

tinerent, & ostendit vaticinium Jsa. 13. v. 19. 20. 21. 22. planè ad impletum. Ita ergo Babylon *subver/a* eß secundum *subversio-*  
*nem Sedome & Amore* omniaque ejus monumenta in va-  
 sitatem tam horrendam desierunt, ut deforme pudendumque toti  
 mundo exemplum præberet, qvò certius illustriusque esset vaticinii,  
 de qvo jam disputavimus, complementum. Qvæ v. *Babylon* jam  
 exstat, *nova* planè urbs alioqve sita loco, post veteris excidium, ex  
 illius ruinis, in memoriam veteris excitata est.

§. 12. Tantum de genuino loci sensu. Ad *usum* ejusjam trans-  
 euntes, cogitemus qvanta sit qvamque mirabilis & stupenda Baby-  
 lonis hujus Chaldaicæ metamorphosis. Sed in hac cogitatione haut  
 subsistamus, cum Scriptura in *Babylone* propriè dicta non subsistat, sed  
 illa, qvæ de Chaldaica Babylone hic dicuntur, ad *Babylonem mysticam* *Italicam* h.e. *Romanam* *Papalem* accommodet Apoc. 14. 8. & c. 18. 4. ubi An-  
 gelus clamat: *cecidit, cecidit Babylon &c* Ex hac ergo Chaldaicæ Babelis me-  
 tamorphosi catuque planè stupendo colligamus, quid expectandum  
*Babylonice* sit *Italicam* h.e. *Romanam* *Papali*. Certe casus hujusce initium ope-  
 rā B. Lutheri factum est & in continuatione ejus fideles Lutheri suc-  
 cessores occupantur. Quemadmodum enim Babel Chaldaeorum non  
 uno tempore ruinam simul suam experta est, sed per articulos tem-  
 porum, uti hactenus ostensum, cecidit atque eversa est: ita & *Babel*  
*Italicam* ulterius ruinam experietur. Apoc. 18. Per *Babylonem* v. *Apocalypticam*  
 intellegi *Romanam* suo jam tempore agnoverunt Patres, nempe *Ter-  
 tullianus* de *coron. milit.* adv. *Ihudæos* & de *probat. nativ. Christi*: item  
*Hieronymus* in ep. ad *Marcellam* & in c. 47. *Jlai. Euseb.* l. 2. hist. c. 14. nec  
 non *Augustinus* lib. 8. de *civ. Dei* c. 22. &c. Nec diffidentur id *Ribera*, *Bellarus*  
 minus aliique; qvanquam hi *Romanam* non *Christianam* sed *Ethnicam*  
 volunt intellectam. Ceterum quod per illam quoque *Babyloniam*, cuius meminit Petrus i. c. 5. 13. *Roma* sit intelligenda, ceu olim  
*Hieronymus* in catalogo scriptorum Eccles. & in cap. 47. *Jlai. cum*  
 aliis quibusdam teste *Eusebio*, *Hist. Eccl.* l. 2. c. 14. censuerunt (quorum  
 sententiam Pontificii seqvuntur, ut vel inde probent, Petrum fuisse  
*Romæ*) illud nos perqvam falsum judicamus, cum potius *Babylon* ibi  
 propriè dicta; non tamen *verus* illa (cujus easiam & eversionem juxta  
 vaticinium *Jlaiæ* jam lustravimus) sed *nova* *paulò* antè *memorata*, qvæ  
 caput erat dispersionis *Ihudæorum* in *Asia*, ad qvos inter alios suam  
 scripsit Epistolam *Petrus*, qui certè tanquam *Ihudæorum* *Apostolus*  
*juxta Gal. 2. 8. Babylonie* fuit commoratus, *Conf. 1. Pecc. 1. b.*

*Ad*  
Rev. & Praclarissimum DN. RESPOND.  
M. LAUR. JEZIUM,

*De*

BABYLONIORUM.

hostium populi Dei insensissimorum  
CASU,

qui Ihudæorum resurrectio & ex captivitate liberatio erat,  
ex Massa Babel, JSAI, XIII. v. 19. - 22. publicitus disputaturum.

D E Babylone (d) in qua magna superbiit olim,  
Nunc eversa jacet) cum Tibi dicta placent,  
Euge memento simul, casuros porrò superbos,  
Qui reprimunt justos, cœn Babel ipsa cadit,  
(Quia, populum quia depresso risit q[ui] fidelem,  
Medorum sensit victa subinde manus)  
Sed contrà justis quoque gaudia (a) lacis oriri,  
Et Phœbum fore post nubila (b) præsto Tibi.  
Namque VIR + è justis unus mihi jure putaris,  
Qui, quia justa colis veraque justus amas,  
Plus equidem pateris, sed & omnia talia spernens,  
Interea curas sedulitate levas.  
Grator ego pectus constans, documentaque rursus  
Tot nova virtutis grator & opto simul,  
Ut, qui cum justo contemtus es usque (c) superbis,  
Perstes, auxilii (d) certus, Amice, DEL.

Qui

Fasit is, ut, veluti Babel, occidat impius omnis,  
 Qui se non mutat, Teque piosque premit,  
 Sit felix specimen, felicior exitus omnis : M  
 Post varios casus surgat ubique decus.  
 Te Pastore novas sumens Ecclesia vires  
 Surgat; at usque Babel (e) Te monitore cadat !  
 Interea factis nil commovere (f) (Babelis superbi): mirorsbūl ipm  
 Ita nocent (g) ipsi, Teque subinæ (h) docent.

† JETSIUS Anagr. E JUSTIS.

(a) Dem Frommen (Gerechten יְשִׁיר) geht  
 das Licht auff im Finsternis etc. Ps. 112. 4. (b) Nachdem  
 Ungewitter überschüttet Du uns mit Freuden! (c) Der  
 Gerechte und Fromme muß verlacht sein/ und ist ein ver-  
 achtes Lichtlein vor den Gedanken der Stolzen (Si-  
 chern) Er steht aber etc. Job. 12. 4. 5. (d) Aber der Herr  
 hilft ihm aus dem allen Ps. 34. 20. (e) Conf. Disp. bujus  
 S. ult. de Babel mystica Italica (f) Lass dich nicht bewe-  
 gen den Gottlosen (Stolzen) in seinen grossen Ehren:  
 Denn du weisst nicht/ wie es ein Ende nehmen wird. Syr.  
 9. 16. (g) Hochmuth thut nimmer gut etc. Syr. 3. 30. (h)  
 Dennen die GOTZ lieben müssen alle Dinge zum besten  
 dienen Rom. 8. 28.

LMq,  
A. D. HABICH HORST, D.







*Ad*  
Rev. & Praclarissimum DN. RESPO  
M. LAUR. JEZIUM,

*De*

BABYLONIORUM,

hostium populi Dei in sensissimorum,  
CASU,

qui Jhudæorum resurrectio & ex captivitate liber  
ex Massa Babel, JSAL, XIII. v. 19. - 22.  
publicitus disputaturum.

**D**E Babylone (*dix quæ magna superbuit olim*  
*Nunc eversa jacet*) cum Tibi dicta pla  
Euge memento simul, casuros porrò superb  
Qui reprimunt justos, *ceu Babel ipsa cadit,*  
(*Quia, populum quia depresso risit quæ fidelem,*  
Medorum sensit victa subinde manus)  
Sed contrà justis quoque gaudia (*a) lucis oriri,*  
Et Phœbum fore post nubila (*b) praesto Tibi.*  
Namque *Vir t'è justis unus mihi jure putaris*  
Qui, *quia justa colis veraque justus amas,*  
Plus equidem pateris, sed & *omnia talia spernens*  
Interea curas sedulitate levas.  
Grator ego pectus constans, documentaque rursus  
Tot nova virtutis grator & opto simul,  
Ut, qui cum justo contemtus es usque (*c) superbis*  
Persiles, auxilii (*d) certus, Amice, DEL.*

